

Nonam non habere restrictionem, licet aliquis appareat.

Qua & iuxta Societatis voluntatem.

Quid circa Episcopos ut Ordinarii sunt Inquisitores.

Distantia eadem Inquisitionis que & Episcoporum sufficit, circa abolitionem ab heresi.

Pro criminibus aliis nulla necessaria.

Neque per Cruciatam tolli.

privilegiorum non valebant virtute præstare.

303 Iuxta hæc ergo exponendum venit adductum privilegium, ut scilicet restrictio in eo nulla sit, quæ de nouo sit adiecta, sed potius favorabile aliquid largiatur. Quod ergo dicitur, *vbi fideles inter infideles degunt*, illud ipsam est quod à Paulo Tertio dictum, *in terras Saracenorum, Paganorum, aliorumque infidelium*. Vbi scilicet adhuc de conversione agitur & multi hucusque infideles sunt, ut in omnibus ferè Indiarum regionibus accidit. Quod si in aliquibus iam infideles non extent, quia & Indi penitus, aut ferè consumpti, sicut in Insula Hispaniola, aut S. Dominici, ac nonnullis aliis, pro iis, quod sequitur, suffragatur: & in alias Provincias remotissimas, à quibus non potest adiri Sedes Apostolica. Hoc autem ultimum tublatum est, & eius loco positum, quod adiri Sedes Apostolica non possit, & quod non sit Inquisitio, aut loco vnus succedat aliud. Hoc autem ita factum, quia Societas ita voluit. Cum enim in eius Adnotationibus inuentum fuisset non esse vtendum huiusmodi facultate, nisi cum Neophytis, vbi est Inquisitio, visum est Pontificibus Privilegio eam hac in parte renuntiasse, aut interpretatam sic esse intelligendum: circa quod fortè etiam priorum concedentium instructio præcessit. Concessio ergo iuxta mentem Societatis fuit, & ita per communicationem nequit plus licere aliis, quàm ipsi licitum habeatur. In eo autem quod de Ordinariis dicitur, videtur esse limitatio; sed reuera non est, solumque explicatio favorabilis: Episcopi enim sunt Ordinarii Inquisitores: & cum de Inquisitione dictum fuisset, hoc non tantum de habentibus delegatam potestatem, qui communiter Inquisitores dicuntur, sed de Ordinariis etiam accipiendum Pontifices declararunt. Quia verò dubitari poterat, quando non esse dicerentur, explicatio addita est de duabus dicitis, seu duorum dierum itinere, iuxta communem explicationem. Quod quidem satis favorabile est.

304 Et iuxta hæc videtur explicandum quando Inquisitio non dicatur esse in ordine ad prædictum effectum: regulandum enim videtur secundum quod de distantia Ordinariorum dicitur, quia eadem omnino ratio est neque apparet cur esse discrimen debeat inter distantiam Inquisitorum & Episcoporum, qui Ordinarii Inquisitores sunt, in ordine ad effectum omnino eundem in personis eisdem. Et quia in Indiis viæ solent esse difficiles, pauciores leuæ multoties sufficient quam in Europa vnus diei soleant itineratione percurreri. Et hoc quidem circa crimen hæresis intelligendum videtur, de quo in Annotationibus privilegij tantum est sermo, & iuxta quam privilegij alterius concessio procedit: nam de aliis non ita procedit dispositio, à quibus absolui possunt, qui in ea incurrerint, etiam cum non extiterit distantia præfinita. Nec videtur privilegium istud Bullæ publicatione sublatum, quia Bulla directè privilegia circa illud non tollit: quatenus autem ex tali prohibitione colligitur mentem Pontificum esse vt facultas ad eam generalis non sit, quia sine grauibz stare inconuenientibus nequit, id non videtur aduersari: quia id quod per privilegium cum moderatione con-

conuenienti à tot est Pontificibus concessum, nequit dici grauia inconuenientia continere. Et ex eo etiam soluitur id, quod ex suspensione facultatum obiici poterat, iuxta id quod à nobis est superius comprobatum. Nam facultas hæc non est absolute contraria intentioni Pontificum in Bullæ expeditione. Nullus enim ex eo quod vbi Inquisitio non est, & Ordinarij abint, absolui à peccatis possit, Bullam recusabit accipere, cuius pro multis aliis commoda poterit experiri. Et hæc quidè philosophandi ratio an minus aliquid simile vero contineat, viderint doctiores

305 Et multò plus aliqui hac in parte concedunt, dum sine limitatione aiunt absolutionem ab hæresi licere virtute privilegij Pauli Tertij. Sic enim tenet P. Ioannes Perez Menacho in explicatione privilegiorum Indicorum verb. *Absolutio, Dub. 8.* vbi pro eodem adducit R. P. N. Generalem Claudium in Adnotatione citatâ, & doctos Societatis viros Compendij eiusdem, & Annotationis auctores, ac præterea Ioannem de la Cruz in *Epitome Status Religiosæ, Lib. 2, Cap. 6. Conclus. 3.* Fr. Ioannem Baptistam in *Animaduersionibus citatis fol. 150. pag. 2.* Zerolam in *Praxi penitentia Cap. 13. Quest. 4.* & in *Praxi Episcopali 1. p. verb. Absolutio, s. Ad quintum, sub finem Ioannem Mariam Brasiliensem, Magistrum sacri Palatii in Indice Expurgatorio Tomo 1. verb. Manuel Sa. pag. 424. num. 20.* propter illa eius verba: *concessis omnibus casibus huius Bullæ (Cœnæ) intelligitur etiam concessus casus hæresis. Ita declarat Congregatio.* Sic ille. Adducit etiam P. Sa verb. *Excommunicatio. s. de excommunicationibus Bullæ Cœnæ. num. 20.* quatenus id reputat probabile, & viros pios & doctos. Pro quo ait etiam posse allegari Sorum in *4. dist. 22. quest. 2. artic. 3. in casu 1. Conclus. 5.* Magistros Ioannem de la Peña, & Bartholomæum Medinam, quos refert Viualdus in Candelabro. *Titulo de absolutione Sacramentali num. 16.* Franciscum Pernam Directorio Inquisitorum *2. p. Comment. 25. Col. 10. vers. Quid si quis querat.* Et in terminis privilegij Vgolinum de Censuris Romano Pontifici referuat, *Parte 3. Cap. 2. vers. vlt. num. 4.* Et hæc quidem eatenus adducit, quatenus tradunt in generali concessione casuum Bullæ Cœnæ hæresim comprehendit. Quod de Iubilæo loquentes tenent alij quamplures adducti ab eodem *Ad secundum.* Et à Diana *Parte 1. Tract. 5. Resolut. 1.*

306 Probat deinde *Primò*, quia privilegium hoc latè interpretandum est, cum sit in fauorem animarum. *Secundo*, quia hæc videtur fuisse voluntas Pontificum, vt hoc pacto multis à Sedè Apostolica remotissimis, & grauibz oppressis criminibus subuenirent. *Tertio*, ex solutione eorum, quæ in contrarium adduci possunt. Et in primis publicationem Bullæ Cœnæ quotannis fieri solitam non obstare, benè ostendit Emmanuel Rodericus *Tomo 1. qq. regul. quest. 20. artic. 9.* Et in *Additionibus ad explicationem Cruciatæ, circa 5. 9. num. 62.* Et ex eodem Fr. Ioannes Baptista *suprà fol. 124. & 125.* Pro quo & est, vt citatus Pater ait, id quod in Compendio Indico habetur in fine Adnotationum circa verb. *Absolutio.* Sic enim *Compendij Additio.* *ibi: qualiter item non censetur reuocata per Bullam Cœnæ, vide in Compendio Communi verb. Bulla Cœnæ 5. 2.* Vbi ad hunc effectum affertur Oraculum Gregorij

Absolutionem præstatam licere virtute privilegij Pauli Tertij, aliquorum sententia.

Rationes pro illa.

Compendij Additio.

Per Bullam Cœnæ non reuocari Religiosorum privilegia.

Specialis difficultas circa Annotationem.

Ad Greg. XIII. declarationem responsio ex P. Menacho.

Ad Breue Pauli IV.

Ad aliud Pij V.

Ad Urbani etiam Quarti, seu potius Alexandri.

Gregorij XIII. die 18. Martij An. 1584. Et præterea extat amplissima confirmatio privilegiorum per Paulum V. 4. Septemb. 1606. Quia verò concessioni prædictæ Gregorij opponi reuocatio potest, eò quod fuerit Oraculum, occurrere obiectioni possumus ex eo quod talis concessio vim tantum declarationis habuerit circa privilegium dictum, iuxta dicta, *num. 294.* quidquid de aliis sit: quamquàm de omnibus idem videatur dicendum: cum enim privilegia huiusmodi à Pontificibus pro expeditâ ministeriorum circa animarum salutem in diuersis mundi partibus executione tribuantur, inuerosimile profus est ea statim reuocari, & necessariam esse annualem innouationem: iuxta ea quæ docti Scriptores tradunt apud P. Pellizarium *Tractat. 8. Cap. 3. num. 73. & seqq.* Et apud Dianam *Parte 3. Tract. 2. Resolut. 10.* vbi & plures & grauiore. Quod verò ad remissionem illam in Annotatione prædictâ ad Compendium commune vterius attinet, consideratione dignum est eam in nouiore Compendio Indico non extare. Cur enim sublata illa? Non vtique sublatum privilegium in Communi Compendio, sed Gregorij concessio ibidem habetur. Non ergo licet iam illud concessioni prædictæ, vt antea licuerat, applicare? Sed responderi oportet potest partem illam Adnotationis expunctam, quia necessaria non erat. Cum enim privilegia Societatis per Bullam Cœnæ non reuocentur, necessarium non fuit id specialiter circa prædictum adnotare. Item, quia id iam ex Compendio communi constabat in fine Adnotationum circa verb. *Absolutio*: sic enim ibi: *quod facultates hoc verbo contentæ, quæ Bullæ Cœnæ repugnant, hodie perscuerent, vide Verb. Bulla Cœnæ. 5. 2.*

307 Ad id autem quod ex Gregorio XIII. adduci potest, qui in Breui speciali apud Fr. Emmanuelem in Additionibus ad explicationem Cruciatæ, circa *5. 9. num. 96.* declarat non esse facultatem absoluedi ab hæresi, respondet citatus P. Menacho tantum intelligi, vt id non possit fieri virtute Bullæ, secus si alias facultas habeatur: quia restrictio odiosa est, & stricti iuris, ac propterea non debet ampliari, cum insuper in privilegio non omnino similes militent rationes. Ad Breue autem Pauli Quarti. *Ann. 1558.* in quo idem videtur prohiberi, respondet non vtgere, vt legenti patebit. Adducitur illud à Fr. Emmanuele *suprà.* Quia verò magis videtur vtgere Breue aliud Pij V. die 30. Ianuarij. *Ann. 1572.* propter quod Rojas in *privilegijs Inquisitorum num. 416.* id planius constare pronuntiat, quem sequuntur P. Henriquez *Lib. 3. de Penitentia. Cap. 16. num. 2. in textu, & in Glossa.* Et alij, respondet ex prædicto Breui potius inferri contrarium, si attentè legatur: vnde quod illud citant, & ex eo moti decernunt, prioris illius Scriptoris auctoritate ducti, cum illud non legerint, nihil plus auctoritatis eidem assertioni conciliant. Quod autem addit Fr. Emmanuel *suprà. num. 67.* Vrbanum Quartum eandem declarationem in fauorem Inquisitorum protulisse, nullius esse momenti affirmat, quia declaratio talis post diligentem perquisitionem non est inuenta. Et in Repertorio quidem Inquisitorum verb. *Crimen*, vbi ab Emmanuele citatur, nullatenus

extat quidpiam, quod possit obstare: ibi enim tantum dicitur hæresim esse crimen exceptum, pro quo allegatur Vrbanus Quartus: cum tamen Vrbanus non sit, sed Alexander Quartus in *Constitut. 10.* quæ incipit, *quod super nullis*: in cuius verbis nihil est quod positioni isti suffragetur. Et quamuis P. Henriquez *suprà* Vrbanum adducat, nihil plus fidei meretur, quia ita citat vt ab Emmanuele scriptum deprehendit. Sic doctus & diligens Pater, & S. Tribunalis Qualificator.

308 In cuius discursu negari nequit quin verisimilitudo non leuis elucet, si doctrina illius privilegio, de quo loquimur, applicetur, in quo quidem non facultas absoluta & omnimoda ad absolutionem confertur, sed cum limitatione iam dictâ. Quatenus verò ex ea videtur deduci absolutam facultatem non reuocari, minus est probandum, ob dicta *num. 301.* Quatenus verò ad prohibitionem pro Bullâ Cruciatæ factam, responsio potest etiam declarationi SS. D. N. Alexandri VII. pro Iubilæo similiter applicari, quia dici poterit, pro Iubilæo quidem factam, quia sic benè visum Pontifici; cum tamen privilegij alia ratio sit, quia pro Indiis est concessum, vbi fidei negotium agitur, ad quod incolæ omnes suo modo possunt concurrere: id restat efficaciter refellendum, & ita arguoznam Cruciatæ, & Iubilæum anni Sancti, aut illi simile, omnium maximæ concessiones sunt; & tamen in illis absolutio dicta prohibetur ob grauia inconuenientia, quâdo ad illam absoluta facultas conferretur: ergo manifestum signum est non esse voluntatis Pontificum eam aliâs generaliter indulgeri. Et quidem facultas absoluedi per Iubilæum satis breue spatium habet, duarum inquam hebdomadarum; & tamen tunc in concessione talis facultatis grauia inconuenientia Sedes Apostolica deprehendit: ergo incredibile est eam generaliter suppetere communicatione amplissima privilegiorum: vbi maximè locum habet vulgaris regula, de quâ sapius: *In generali concessione. &c.*

309 Deinde. Quod pro Indiis specialis ratio non sit in ordine ad generalem concessionem, ex eo ostenditur quòd in Indiis etiam publicatur Cruciatæ cum eadem prohibitionem: ergo signum est grauia inconuenientia in Indiis ex absoluta concessione timeri. Et certè à crimine hæresis per Bullam spatio biennij semel tantum in vitâ & semel in articulo mortis absolui posse, vel ad summum bis durante spatio, si duplex Bulla sumatur, sine grauibz stare inconuenientibus nequit: ergo multò maiora timeri possunt ex absoluta facultate nullis temporis spatii coarctatâ. Iubilæum etiam eodem modo in Indiis publicatur, & cum eadem restrictione: ergo similiter est de illo sicut de Bulla philosophandum, & colligendum ex eo pro Indiis etiam inconuenientia illa extare, quæ planè obstant, quominus facultas absoluta ad effectum dictum de Pontificiâ possit voluntate præsumi.

310 Sed restat aliud, in quo non leue videtur esse momentum: nam quinta Congregatio Generalis ad instantiam Philippi II. Regis nostri privilegij, quæ habebat in ordine ad absoluedum ab hæresi, renuntiauit, vt constat ex *Decreto eiusdem 21.* Quod quidem ex zelo fidei

Sententiam Auctoris prædicti non esse generaliter admittendam.

Ratio efficacissima pro asserto.

In Indiis idem procedere quoad generalem concessionem.

Difficultas ex eo quòd Societas privilegio renuntiauit. Et quomodo illam



quidam Auctor ex- pediat.

& ad instantiam Inquisitionis Hispaniæ, à piissi- mo & religiosissimo Principe factum: ergo non licet iam illorum usus. Et vrgetur ex eo quod fertur communiter Pontificem ad instantiam R. P. Claudij priuilegia dicta reuocasse. Ad quam obiectionem respondet P. Menacho de reuocatione Pontificia nullâ ratione constare post sollicitam inuestigationem: immò oppositum non obscure colligitur ex citato Decreto Congregat. 5. in quo reuocationis dictæ mentio nulla; sed Societas usum priuilegiorum talium in Regnis Hispaniæ sponte dimittit. Quoad dimissionem autem huiusmodi, nihil in eâ esse ait, quod Indias attingat, vnde in illis nulla est intimata prohibitio; & merito, quia valde diuersa ratio in ipsis militat, ac in Regnis Hispaniæ. Addit reuocata quidem priuilegia, quæ expressè facultatem absoluedi ab hæresi concedunt, non verò illa, in quibus hæresis non expressa, sed in generali concessione est casuum Bullæ comprehensa. Sic ille respondet. Iuxta quem dicendi modum videtur reddi ratio posse, cur in Compendio Indico non sit facta mentio concessionis Iulij III. quæ quidem expressissima est, quia videlicet talis priuilegij usum noluit Societas in suâ illâ generalitate pro Regnis Hispaniæ permittere, sicut eius tenor continebat.

Non admittitur responsio, quia pro Indis etiam renuntiationem.

311 In hoc tamen aliqua difficilia sunt: nam in primis id, quod in Congregatione 5. statutum est, ad Indias etiam videtur pertinere, sic enim ibi: *Quæ quoniam suis priuilegijs ad edificationem, & diuinum tantum obsequium vti cupi, & sancto illi Tribunali, ut par est, plurimum deferri, predictas patentes licet (R. P. Claudij) presentis Decreto confirmat, præcipiens atque interdicens, ne quis Nostorum in illis Regnis, alijsque Dominijs, illi Tribunali subiectis, priuilegio illo, quod ad predictum S. Officium pertinet, quoquomodo vti, aut illo se tueri vllatenus præsumat. Immo omnem facultatem eo vtiendi sibi protinus sublata esse intelligat, ac priuilegium ipsum à Sede Apostolica nunquam impetratum esset.* Hæc ibi. Ex quibus apparet in Indis etiam usum priuilegij sublatum, quandoquidem sublatus est in omnibus Regnis & Dominijs Hispaniæ: Coronæ Tribunali dicto subiectis, ad quæ Indias est manifestissimum pertinere.

Alia in eadem adiecta deservit.

Concessione casus Bullæ Cœnæ venire hæresim, præxia Pœnitentiariæ.

312 Deinde. Si in priuilegio absolutionem à casibus Bullæ Cœnæ generaliter concedente, hæresis continetur, vt id Societas dubio procul intellexit, pro quo & est praxis sacræ Pœnitentiariæ Romæ, quoties Casus Bullæ Cœnæ indefinitè conceduntur, vt affirmat P. Filiucius Collegij ipsius Pœnitentiariæ Rector Tractat. 8. num. 265. quod valde commendat P. Pellizarius Tractatu 8. Cap. 2. num. 39. ob dicentis auctoritatem: ex eo videtur fieri, vt & illius vsui debuerit renuntiare, quandoquidem taciti & expressi ratio est eadem, vt aliàs diximus; & renuntiatio expressi priuilegij valoris nullius esset, si remaneret aliud, per quod idem omnino liceret, pro quo expressum, facultatem tribuebat. Non ergo videtur exacta ratio illa, quæ pro sublatâ mentione priuilegij Iulij III. reddebatur. Præterea. Si in Indis non est eadem ratio prohibitionis vsus priuilegij, quæ in Hispaniæ Regnis, & concessio Iulij III. ad Indias spectare

specialiter potest, in quibus inconueniens circa illius usum non est, sicut non est in vsu alterius ad eundem effectum; additâ moderatione, quæ in alio; satis erat cuiuslibet inconuenienti consultum: vnde Pontifices in Bullis citatis, in quibus generalem concessionem pro casibus Bullæ Cœnæ in Indis indulgent, additâ limitatione circa Inquisitionem satis inconuenientibus fuisse occursum indicarunt. Sed his non obstantibus

313 Dicendum videtur renuntiationem illam priuilegiorum quoad Hispaniæ Regna ita pertinere, vt Indias etiam comprehendit, quatenus absolute eorum vsus non licet, nisi cum moderatione adhibitâ, & à nobis explicatâ. Vnde & priuilegio generali de casibus Bullæ Cœnæ, & non tantum speciali renuntiationum, quandoquidem & in generali limitatio est inuolabilis apposta, iuxta quam illa sustineri posse constat ex Bullis citatis, in quibus mentio Inquisitionis ad limitationem adiecta. Constat item ex edicione Compendij post quintam Congregationem, in quo facultas dicta cum Adnotatione iam expressâ continetur. Congregatio ergo cum de Regnis ac Dominijs S. Tribunali subiectis est locuta, Indias minimè voluit comprehensas quoad speciale illarum priuilegium, quia neque hoc Regis postulatio continebat, sed quod vsu nonnullorum priuilegiorum in illis regionibus abstineret. Pro Indis enim sciebat S. Tribunali, quod à Rege vt postulare obtinuit, satis prouidam in Compendio adhibitam cautionem. Quod ergo mentio concessionis Iulij III. facta non sit, cum tamen absque dubio fieri posset, moderatione additâ, ea fuit ratio, quia absolute necessaria non fuit, & cum in illâ hæresis expressa habeatur contentia, conueniens iudicatum est offensionem omnem eius præteritione vitare: cum præsertim concessio illa generalis sit, & non tantum pro Indis. Neque circa ista opus est rationem exactissimam reddidisse. Mentio quidem fieri potuit, sed non facta. Aliqua profectò viris doctis ratio pro eo succurrit: si minus placeat quæ à nobis assignata est, alia equidem fuit, vel si non alia, de Concilij alicuius Generalis definitione non agitur, sed de peculiari hominum dispositione: & in huiusmodi non solent omnia ita exactè peragi, vt nihil possit ab iis, qui rem oculatissimè intropexerint, vt minus congruum subnotari.

Renuntiationem pro Indis etiam fuisse conclusur.

Sed non quoad illarum speciale priuilegium.

§. III.

Notanda quedam circa usum Priuilegiorum, de quibus dictum.

314 Dico primò. Etsi Commissarij Inquisitionis adsint, si tamen distantia interueniat, de quâ loquitur priuilegium, vsus illius licet. Sic Docti aliqui. Et ratio est clara; quia Commissarij communiter loquendo, & prout in Indis solent constitui, non habent iurisdictionem pro foro interno. Sed ad specialem quandam prouidentiam designantur: & ita in ordine ad bonum animæ, quod priuilegij concessione præteritur, perinde est ac si non adessent. Si verò contin-

Assertio 1. etiam si adsint Commissarij, non censetur ad esse Inquisitionem ad effectum absolutionis.

contingeret Commissarium facultatem habere pro foro interiori ab Inquisitoribus eidem attributum, iuxta probabilem sententiam de facultate eadem pro foro dicto Inquisitoribus competentis, & eandem delegandi potestate; aliter videtur dicendum. Tunc enim in eo loco diceretur esse Inquisitio, quandoquidem in eo Minister eiusdem adest, ad effectum huiusmodi sufficienter instructus. Nihilominus hoc non videtur certum; quia reuera, & secundum communem ac receptum loquendi modum, ibi Inquisitio non est. Et præterea Minister talis satis dubiâ facultate est præditus, vnde Religiosus Priuilegarius, cui illa certius conuenit, videtur præferendus. Præterquam quod in concursu priuilegiorum ille est præferendus, qui excellentiori modo priuilegiatus est, vt aperte liquet; atqui Religiosus in concursu dicto talis est, scilicet vt Minister Euangelicus per priuilegium Pontificum Religioni concessum: Commissarius autem per nudam commissionem facultate gaudet à Pontificis factam Delegato, cui ratione status nihil tale conuenit; in quo excellentia appare manifesta: potest ergo in concursu Commissarij datâ sibi vti à Pontifice facultate.

Assertio 2. de Vicarijs Episcoporum idem statuens.

Esse Ordinarios si Generales, sed non in omnibus.

315 Dico secundò. Id quod est de Commissariis dictum, de Vicariis etiam Episcoporum dicendum. Et ratio est similis: quia illis non solet talis facultas attribui: quod si tribuatur aliquando, verificatur tamen ibi non esse Ordinarium, quia Vicarij foranei non dicuntur Ordinarij. Licet autem Vicarius Generalis dicatur Ordinarius, iuxta magis receptam sententiam, quia illius & Episcopi, aut alterius, cuius Vicarius est, idem est tribunal, vt habetur in Cap. Romana de appellacionib. in 6. Pro quo innumeris Auctores adducit P. Thomas Sancius Lib. 3. de Matrimonio, Disput. 29. num. 3. ea tamen facultas non solet illis cum officio committi, quia Concilium Tridentinum prohibet per Vicarios absolutionem ab hæresi dari. Et quamuis probabile sit posse committi Vicariis; addunt tamen Doctores id non posse per modum habitus fieri, sed iuxta casuum occursum. Quando autem ita fit commissio, Vicarius non fungitur Ordinariâ iurisdictione, vt docent plures apud eundem Auctorem supra, num. 6. qui & idem asserit num. 8. Sed limitatione additâ; videlicet si in commissione fiat expressa mentio vicariatus, siue in salutatione, siue in progressu: vt tali Officiali nostro, vel Vicario committimus, aut potestatem aliàs per Nos commissam extendimus. Quæ quidem in casu, de quo agimus, non videntur habere locum; quia commissio ista secretissima est, neque pro ea scriptò vti Ordinarij solent. Accedit id, quod omne videtur dubium submouere: cum commissio hæc secretò fiat, non posse ab eo, qui absoluere aliàs à prædicto crimine potest, an verè illum Vicarius habeat agnoscere: & merito posse præsumere Episcopum circa id modo conuenienti procedere: ac proinde potest ille priuilegio suo sine aliqua dubitatione potiri. Fateor in casu quo facultas absolute ad effectum dictum Ordinariis Indiarum tribuatur, de quâ an modò competat, valde dubia quæstio est, alium esse posse concessionis modum ab eo, quem Concilium superiori determinatione præscribit, & ita forsitan

illis licebit id per alios exercere, sicut in facultate absoluedi Indos vidimus. §. 1. Sed tunc etiam valde probabile est non esse Ordinarios respectu illius, vt citati Doctores sentiunt; etiam si cum officio pariter tribuatur; quia officio non est annexa, sed penitus delegata. Cum aliàs adhuc sub iudice lis sit an Vicarij sint Ordinarij: vnde P. Bauny Tomo 1. Tractat. 9. Quæst. 7. ait opinionem affirmantem videri sibi tutam in praxi, & sequendam; aperte indicans contrariâ probabilitatem, de quo & Quæst. 24. Ex quo habetur multò plus probabilitatis esse in eâ sententiâ, quæ negat Ordinarios esse in iis, quæ minimè ratione officij conueniunt. Sed ex speciali Sedis Apostolicæ priuilegio, pro cuius executione ab Ordinariis sunt gratiosè substituti, procedunt.

Non esse Ordinarios probabilis sententia maior.

316 Circa Vicarios autem Sede vacante, etsi iuxta communem sententiam; pro quâ Auctores supra, Ordinarij sint dubitari tamen potest an in prædictâ facultate succedant, quæ Prælati Indiarum concedi circa hoc potest, & quidem si ita tribuatur, vt perpetuò adhareat officio, & non eligatur personæ industria, ad Capitulum transire satis probabilis sententia est, quam cum aliis tenet Barbosa de potestate Episcopi Allegat. 54. num. 26. P. Thomas Sancius Lib. 8. de Matrimonio, Disputat. 2. num. 10. & in Opere Morali, Lib. 2. Cap. 11. num. 4. vbi de facultate absoluedi ab hæresi id etiam affirmat, sicut & num. 23. qui & videndus specialiter Lib. 2. de Matrimonio, Disputat. 40. num. 17. vbi benè ostendit non eligi industriam personæ, quoties aliquid conceditur Prælati præsentibus & futuris in perpetuum; cum personis incognitis delegetur: pro quo ibidem graues Auctores adducit. Vnde & deducto Conclusionem præsentem accommodatam instituit.

De Vicariis Sede vacante idem decernitur

Quando non censetur industria persona eligenda.

317 Sed verò ita ad Capitulum transire aliqui existimant, vt Vicario Generali ab eodem constituto, tota ad illum iurisdictione transferatur, quia consilium Tridentinum eam videtur ipsi conferre, dependenter quidem à Capitulo in fieri, non tamen in conseruari, sic enim Sessione 24. Cap. 16. decernit de Reformatione: *Officium seu Vicarium infra octo dies post mortem Episcopi constituere, vel existentem confirmare omnino teneantur.* Sic illud. Hæc enim obligatio constituendi Vicarium planè indicat apud eum Capituli iurisdictionem futuram; aliàs non esset cur Capitulum ad constitutionem huiusmodi teneretur. Ideò namque Episcopo non imponitur obligatio talis, quia apud illum iurisdictione residet, & ita potest per se ipsum iudicare. Et inde est quod in eodem Capite Concilium præcipit vt eligendus Vicarius sit in Iure Canonico Doctor vel Licentiatus; quod tamen de Vicario Episcopi non inuenitur decretum: eo videlicet, quia tota apud illum est iurisdictione futura. Pro quo faciunt quæ adducit Dom. Solorzanus Tomo 2. Lib. 3. Cap. 13. num. 70. Vnde pro certo videtur statuere Barbosa supra, num. 157. cum Doctoribus, quos citat, iurisdictionem Episcopi ad Capitulum deuolui Sede vacante, sed iuxta formam præscriptam in Cap. Vnico, de maioriore & obedientia in 6. in quo sic dicitur: *Episcopalis Sede vacante, potest Capitulum, seu is, ad quem Episcopalis iurisdictione tunc temporis noscitur pertinere, & absolu-*

Ad Vicarium talis totam iurisdictione transferri qui censentur fundamenta pro eo.

Cap. Vnico de maioriore in 6.